

istam, non demerissent. Desyderium salutis amicorum non est ad bonum uentium, nec ex amore bono procedit, sed metu augmenti pœnæ, quia fortè fuerunt eis occasio peccati dum uiuerent. Sic secundum Augu. pœna Arrij continuò crescit in inferno propter multitudinem errantium, quibus præfuit efficacem occasionem. Hæc de litera breuiter, uel solum tetigisse sufficiat.

Nunc pro secunda parte ex euangelio sumamus aliquas doctrinas morales. Prima? Qui penas diuitis horret in morte, eius caueat uestigia imitari in hoc tempore. Nam secundum apostolum, quæ seminat homo, hæc & metet. Gal. 6. Pœnas uerò eius, quis enumerare sufficit, quæ tamè quaternario numero comprehendi possunt, ut sequenti sermone patebit? Quæ uerò fuerit uita diuitis, in euangelio non exprimitur hoc dempto quod dicitur, quia epulabatur quotidie splendide. Induebatur bysso, ecce concupiscentia carnis. Et purpura, ecce superbia uitæ. Negabat denique micæ pauperi Lazaro, ecce concupiscentia oculorum. Notatur itaque de gula, de superbia, de auaritia. Hinc Aug. ait ser. 28. de uerbis euangelii. Delicatis efecis ad inuentionem cocorum gaudebat. In explebilis est auaritia diuitum, semper rapit, nunquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reueretur, non patri parcat, non matrem agnoscit &c. Compensatur itaque modo de diuitis pœna, pro purpura flamma, refrigerium pro paupertate, refectio pro nuditate, ut salua sit æquitas statere. Ideò negatur in pœnis misericordia diuiti, quia dum uiueret pauperis noluit misereri. Quam mensura itaque mensus est dum uiueret (Luc. 6.) in hac uita, remetietur nunc sibi iusto Dei iudicio in inferno. Secunda doctrina. Si placet pars Lazari in patria, placeat oportet eius imitatio efficax hic in uia. Nam ut ait apostolus. Qui non laborat non manducet, nec coronabitur nisi qui legitime certauerit, 2. Timot. 2. Nec stantes in foro otiosos remunerat dominus. Matth.

22. sed in uinea (licet sero) laborantes.

Tertia doctrina. Mundo seruientes, & seculi pompis, atque diuitiis studetes æternis cruciabantur pœnis. Hinc ait Ioan. Qui diligit mundum, non est charitas Dei in illo. Et apostolus. Radix omnium malorum cupiditas 1. Timot. 6. Et sequitur. Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, qui enim uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desyderia multa, inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem. Hæc apostolus. Clare denique doctrina ex historia euangelica de diuiti epulone, cuius nomen tacetur, quia à Deo ad primum beatificum ignoratur, pauperis uerò exprimitur. Hinc recipit pro ueste flammam perpetuam, pro cibo delicato famem insubibilem, pro familia societatem tartaream, pro tenacitate omnis refrigerii negationem, perpetuam desertionem, & perpetuam obligationem. Lazarus uerò pauper, qui seculi pompas, & diuitias contempsit, lumè perpetuum, angelorum cetum, decorem fulgidissimum, satietatem optimam, omnis boni communicationem, perpetuam remunerationem. Ecce quam distincta sunt Dei iudicia, & diuersa meritum stipendia. Quarta doctrina. Qui pœnas perpetuas cupit euadere, & uita gaudia possidere, uiam, quam Lazarus exemplauit, arripiat, & omnia impedimenta fortiter repugnando deuincat. Vincat inquam, modo triplici, ratione scilicet experientia & fide. Ratione attendat, quia non est hic nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus. Comedit enim aliquis, quia fames cruciat. Bibit, quia sitis constringit. Nihil ergo iucundum sed omnia laboribus plena sunt, & diffusè declarat beatus Bern. serm. 12. de diuersis, & sermone 35. Per experientiam, dum uidet breuitatem, instabilitatem, & continuum transitum omnium, quæ sunt sub sole, & nihil stabile permanere. Ea propter Ioan. inquit. Transitus mundus, & concupiscentia eius.